

W.c. 76.
4538

W.c. 76.
4538




P.V. 53g


Historia Poloniae
Sigismundus III.


Lamozili (Joan): De transitu Tartarorum
per Pocuciam, anno 1594.
Epistola.

Crac. in off. Lazari. 1594.

Phot 3826.







De transitu Tartarorum
PER POCVCIAM, ANNO
M. D. XCIII.

EPISTOLA.

AD ILL^{mum} ET R^{mum}DIS DOMINVM
CYNTHIVM, S. R. E. TIT. S. GEORGII
Cardinalem Aldobrandinum:

AB ILL^{mo} DNO IOAN. DE ZAMOSCIO,
R. P. SUPREMO CANCELLARIO, ET
Exercituum Generali

missa.



Cim. Qu. 4538

CRAC. In Officina Lazari. Anno D.
M. D. XCIII.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO
PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO GEORGIO,
S. R. E. Tit. S. Sixti, Presbytero Cardinali Radiuilo, perpetuo Ad-
ministratori Episcopatus Cracouien. &c. Duci Olycæ & Niesvicz,
&c. &c.

Domino ac Patrono meo colendissimo.

CVM hisce diebus ab Illu. & Magnifico Domino Palatino Lublinensi, eodemq;
Generali Cracouienſi Capitaneo, Senatore & dignitate & uirtute præſtanti,
exemplum epistolæ ad Illuſtriſſ. S. Gregorij Cardinalem, Illuſtriſſ. & Magnifici
Domini Cancellarij, & generalis regni, de expeditione proxima Tartarica cõmu-
nicatum mihi fuiſſet, digna mihi uifa fuit, quæ publicè edita in omnium manus
perueniret. non modò quòd quæ publicè geruntur, ab omnibus cognoſci pu-
blicè interſit: uerùm etiam ut opinionis cuiuſdam errore animi hominum libe-
rentur. Inueterata enim quorundam animis opinio inſedit, Scytharum rabiem
celeritate ſola ferè metuendam: uiribus, roboreq; aut nihil aut parum poſſe. quæ
res nobis certè hæctenus potiſſima quaſi ſecuritatìs: hæc uerò non paucorum
incommodorum cauſa extitit. Secus autem totum id eſſe, non modò priſcorum,
eorundemq; potentiſſimorum Regum, ut Cyri maioris, Darij, Alexandri magni,
cæterorumq; quibus aliquid cum Scythiſ rei fuit, non ſatis felicis bellorum exitus
teſtantur: ſed uel præſens hæc audacia illorum, numero & robore fidens, oſten-
dere poteſt. Cui quomodo occurri poſſit, utinã tam ſeriò homines cogitationem
ſuſcipere uellent: quàm cum quid ſecus, ac uolumus, accidit, aut dolent, aut indi-
gnè ferunt. Tibi quidem illuſtriſſime Cardinalis, cum ob eas, quas oſtendi, cau-
ſas, publici iuris epistolam hanc faciendam iudicaſſem, priuatim tamen conſecran-
dam quaſi putauì, primùm ut ad ampliſſimum Cardinalem ſcripta ſub tanti Car-
dinalis nomine in publicum prodiret: tum uerò maxime, quòd tam illuſtri loco,
& quaſi in ſpecula quadam regni huius poſitus, de communi ſalute & cogites di-
ligenter præ cæteris, & tantum ſtudij ac laboris impendas. Vale. Datum
Cracouie die 10. Sept. Anno 1594.

Illuſtriſſ. Celſitudinis Veſtræ,

paratiſſ. & obſequentiſſ. Seruitor,

Matthias Clodzinski, S. Sedis Apoſtolice

Protonotarius, Præpoſituſ Vilnen. Can.

Crac. S. R. M. Secretarius.

Ann. 4538

Hist. 3826

DE TRANSITV TARTARORVM PER POCVCIAM ANNO M. D. XCIIII. EPISTOLA:

Ad Illustriss. & Reuerendis. Dominum Cynthium, S. R. E. Tit. S. Georgii Cardinalem Aldobrandinum: ab Illustriss. Dño Ioan, de Zamoscio, R.P. supremo Cancellario, & exercitt. Generali, missa.

Illustrissime & Reuerendis. Domine.



PROEOLOCO, QVO apud S. D. N. Illustrissima D. V. est, proque eius in me beneuolentia, nulla res maior hic est, quam ad rem Christianam pertinere putem, de qua, non meis literis certiozem Illustriss. D. V. faciendam mihi statuam. Atq; optarem sanè letiore aliquo nūtio impertiri me Illustriss. D. V. posse; sed cūm omnia, quæ

nia, quæ ab aliena seu diuina potius voluntate pendent, optare quidem, & pro virili, vt quàm optimè cadant, elaborare possimus; non rarò autem aliter cadant, quàm vel optamus, vel speramus: eius nunc rei nunciũ perscribere Illustris. D.V. cogor: quæ, quem alijs dolorem afferat, nescio, mihi certè vitam acerbam facit. Tartari igitur, cùm, omnium ferè animis ab expectatione eorum auersis, nauigijs, à Turcarum Tyrāno numerosissimis, eis subministratis, solito traiectu relicto, in ipso ostio properè Borysthenem traiecissent; mox Nestro etiam ad Thehinam supra Moncastrũ Turcicæ ditionis transmissis, inde superiore via, qua Solymanniano bello vsi fuerant, versus Taurinũ rectà ituros, & ipsi præ se tulissent, & ex Valachia nunciaretur; subitò per Valachiã itinere conuerso, primùm per oram quandam finium regni, deinde Transiluanicæ ditionis in Vngariam penetrarunt: ita autem perruperunt, vt quamuis parua omninò vires paratæ essent, quibus numerosissimus barbarorũ exercitus remorari posset; magis tamen ferè fuga, aut similis

fugæ

fugæ profectio eorum , quàm paucitas nostra ,
summo pugnandi ardore incensa, prælium exi-
meret. Ad quam quidem totam rem, nihil incō-
modius ferè accidisse mihi videtur , quam quòd
ante discessum regium, seu ante proxima potius
Comitia, de periculo, quod à paganis expectan-
dum esset, nihil cum M. Regia communicatum
fuerit: atq; ita in tempore & periculo illi obuiã
iri, & quo illud propulsaretur, iustus exercitus
comparari non potuerit. Cùm enim de cōmu-
nicatione belli huius primùm post discessum re-
gium, rebus Sifekano prælio iam exasperatis, &
spe pacis præcisa, aliqui ex Senatoribus appellati
fuissent, accidit; vt neq; à Regia Maieftate matu-
rè rebus ijs occurri potuerit, de quibus ante di-
scessum suum nesciuisset; & illa absente, ne vel
omnium ordinum conuentus tutò haberi, vel
vt maximè habitus fuisset, quicquã de huiusmo-
di rebus statui posset, vereremur. quod quidem
vel apud ipsum nuntium Cæsareæ M. iam hye-
me non dissimulaui, responsumque, quod illi tū
dederam, cùm ad Serenis. Regem in Sueciam,

tum ad Sereniss. Reginam viduam Varsouiam ,
ad Illustriss. etiam Cardinalem Radiuilum, alios
que nonnullos Senatores, iisdem verbis, quibus
id dederam, mox perscripsi. Cùm enim vt alios
Senatores, ita me quoque nomine Cæsareæ M.
appellasset, & difficultatem conuentuum indi-
cendorum, & ad huiusmodi res sciscendas, ipsa
Regia Maiestate præfente opus esse, multis ei iam
tum demonstraui. Ad Tartaros verò, quod perti-
neret, respondi, posse eos ea via, qua Solymano
Sigetum obsidente, vsi fuissent, itinere à regni fi-
nibus diuerso & remoto, in Vngariam perueni-
re. quam ob causam cum Mosco potius com-
municandum Cæsareæ Maiestati me putare, vt
in Tartaros intentus esset, cùm præsertim nobis
etiam, si auxiliij quid Christianis ferre deberemus,
ita domo proficiscendum esset, vt à Tartaris se-
cure essemus, si per nostros fines nihilominus per-
rumpere vellent, cùm id sine damno & iniuria
nostra futurum non esset, rem ipsam, prohiben-
di eos, vtcunque possemus, necessitatem nobis
imposituram ostendi : militem tamen exiguum
admo-

admodum iam esse : cùm omnis ratio grauioris
periculi propulsandi , ad publicam ferè expediti-
onem in Comitibus relata esset , (quæ contra tan-
tam hostis eius celeritatem , non satis certè expe-
dita est ,) Verisimilius tamen videri mihi dixi , si
in Vngariam ituri essent , per Turcicam ditionem
ituros ; quò recentiores ad bellum venirent , cùm
omnis bellandi eorum ratio , in celeritate ferè
consistat. In omnem certè euentum , non maior
ordinario numerus equitum scriptus fuerat , qui
pro more contra subitas hostium excursiones ,
excubarent. Hisce partim viæ , quæ diuersæ sunt ,
obsidendæ , partim debellandus hostis fuerat ,
qui celeritate sine vlla controuersia facilè omni-
bus gentibus præstat , numero autem non mul-
tis , audacia & robore corporis , nulli impar est.
Duæ omninò rationes excludēdi eius erant : vna ,
vt vel in patentibus campis illi occurreretur : al-
tera , vt viæ omnes , quæ per montes ducunt , in-
fiderentur. Prælio nulla parte hosti parem , cum
tantis hostium copijs , quantæ Tartaricæ sunt , æ-
quo in loco decernere , cuius rationis sit , quili-
bet

bet facile iudicare potest. Reliquum erat, ut vel
vnius via, qua iturus putabatur, aut cum plures
sint, omnium angustiae occuparentur, quorum
illud, si in aliam viam deinde se conuertisset, elu-
dere in ipsius omnino potestate esset; hoc autem
non modo sine vilo fructu, verum presentissimo
etiam cum periculo futurum, cum copiae per se
exiguae in plures minoresque partes distractae, ne
vnum quidem impetum tanti exercitus sustine-
re potuissent. Non minus ad haec incommodum
accedebat, quod cum superiorum, tum proxi-
morum etiam comitiorum constitutione, cer-
tus locus versus Borysthenem designatus fuerat,
in quo copiae in statiuis haberentur: hostis au-
tem diuersa & breuiore longe via per Valachiam
in fines regni irrupit. Cum tamen iam sub ini-
tium fere quadragesimae de consilio hostium a-
liquid inaudiuissem, mox cum ad alios passim,
tum maxime ad Senatores literis datis, certiores
de eo illos feci, cum sigillatim plerosque, tum
coniunctim eos, qui Varssauiae ad audiendum
Czausium conuenerant: verum omnibus fere,

ut non

vt non negligendum periculum videbatur; ita omnium ordinum, absente Rege, conuentus habendi difficultas obstabat. Interim verò hoste morante, vt fieri solet, ab alijs contemni periculum cœpit: ab alijs ne credi quidem; quidam etiam aliter diligentiam meam interpretari: quæ securitas non parùm deinde, cùm à Valacho, in animis hominum confirmata fuit, tùm ab ipso Tyranno Turcarum, quorum ille cùm aduentum Tartarorum ipse antea denunciasset, postea literis Turcæ, quibus in Taurinensem viam commutatū pro Tartaro illi imperabat inductus, Camentiam dimissis, alia via, qua superioribus bellis in Vngariam iuerant, Tartaros ituros nunciabat: & tanquam omnia pacata iam essent, ad nundinas oppidorum suorum ex vicina Podolia & Russia homines inuitabat. Ad Turcam verò, cùm sub discessum regium, nuncius missus esset, qui, quid absente rege expectandum nobis ab illo esset, exploraret, simulq; de Tartarorum iniurijs quereretur, ita eum dimiserat; vt nihil omninò vel à se, vel à Tartaris hostile nos expectare debere,

sup

B

proli-

prolixè promitteret. Ego tamen, cùm priuatum militem, quem meis stipendijs alo, instrumentumq; bellicum, iam primis quadragesimę temporibus nihilominus in vicinis locis reliqui; vt, quàmprimum certi aliquid de aduentu hostium cognouissem, ipse ad eos aduolarem; tum publicum militē, quò ad potui, iisdem in locis, moratus fui. Sub exitum Iunij, cùm hostis morantis aduentus iam frustra expectare putaretur, D. Castellanus Leopoliensis, campestris militię præfectus, partim conuitijs nobilitatis eorum locorum, grauem sibi militem quęrentis, partim sciti comitalis autoritate adactus, versus Borysthenem, quemadmodum in comitijs constitutum fuerat, mandatis ea de re à me non expectatis, militem promouit. Interim Tartarum Valachiam iam ingressum, ac maximis itineribus ad fines regni contendere diuersis nuntijs ad me perfertur. Magnam spem habebam, fore, vt partim in Valachia moræ aliquid ei obijceretur, partim arboribus deiectis, vijsque per quas iturus esset, obstructis, impetus eius nonnihil retardaretur.

qua

qua de re iam multò & antè , & postea hoste ad-
uentante non solum cum nostris , verum vicinis
etiam , literis ea de re ad illos datis , partim ipse ,
partim per alios communicaueram ; atque ita
non modò adipisci nos hostem posse sperabam ,
verum paruis etiam copijs inter montes & via-
rum angustias rem contra eum gerere . Itaq; li-
teris ad exercitum & nobilitatem , quibus ad ar-
ma eam conuocabam , mox dimissis ; ipse priua-
tis tantum copijs meis , quas , quemadmo-
dum supra demonstravi , in vicinioribus Vn-
gariæ locis , per quæ iturus hostis putabatur ,
reliqueram , tormentisq; bellicis , campestri vsui
aptis , ibidem hostes arreptis , versus contendi .
qui interim nullo in Valachia impedimento ob-
iecto , ab ingressu in Valachiam tertio die in fi-
nes regni percurrit , indeque prioribus vno atq;
altero diebus , lentioribus aliquanto itinibus
contendit ; quò , & per incendia terrore circum-
lato , ancipites animos hominum distraheret , &
equos recrearet ; vt , postquam ad montes perue-
nisset , tanto magis celeritatem illorum incitare

posset. Præ cæteris in meorum necessariorum possessiones maximè sæuire instituit. Præter alios inprimis Haliciam, D. Palatini Belzensis, affinis mei, præfecturam, oppidum immunitum, non modò exussit; verùm, cum eodem in loco ipsum Palatinum in arce lignea esse cognouisset, qui eam expugnarent, incenderentq; summisit: quibus strenuè reiectis, nulla vltiore mora interposita, vltius progressus, simili odio Kalussam D. præfecti campestris, cõsanguinei mei, territoriumque eius ferè omne, ex instituto exussit. Erat in exercitu eius turma equitum Turcicorum, quibus Czauis præerat, quasi custos inspectorque illi additus. Cùm superiore bello Solymaniano in Vngariam Tartarus iret, à Thehina oppido, per oram Moldauicè rectà versus Albam Grecam, seu Taurinum, quæ Turcici imperij in Vngaria est, contendit. Cùm tamen per regni huius fines eum iturum perlatum ad me esset, propterea hoc itinere illum euocatum suspicari cœperam; vt cum hyeme iam obsessuri Christiani Hatuanum dicerentur; qui autem frigus & in-

com-

commoda hyemis ferre possent, præter Tartaros, ex alijs gentibus nullos ferè Turca habeat, illis immisissis, Christianorum copias distineret: eandemq; ob causam, postea æstate etiam non sine cura transitus eius esse, desinebam; quòd id consilium Turcæ esse verebar, vt omni parte Vngariæ, quæ intra fines nostros & Danubium est, per Tartarū vastata, cùm hanc incendijs & populationibus deleuisset, eò facilius Transdanubianos etiam in potestatem redigeret. Nunc, cùm hoc solùm ferè itinere hoc assequutus esse videatur, vt ad exercitum Turcicum perueniret; quid consilij secutus sit, vt illa relicta per Poloniae & Transylvaniae fines non sine periculo, certo autem cum detrimento, & vexatione exercitus ire maluerit, non satis assequor. Illius enim commodum, seu Christianitatis incommodum si spectemus, etsi Taurinensis via longior sit, quòd tamen per pacata vbique iter illi sit, hoc cæteris ei præstat; vt partim sine periculo vllò, partim quod nullo periculo urgente, pro arbitrio suo moderari id possit, integris equis, in quibus om-

ne robur eius est, ad locum perueniat. Nunc cum summa celeritate, viaq; impeditiore, per-rumpendum illi fuerit, attritis, defatigatisque, aut certè non satis integris equis, illum euasisse, vel id argumento esse potest, quòd quàmprimū in plana Vngariæ ex montibus penetrasset, neq; agmina vlla ad populationes faciendas, quoquo uersum longius more suo dimiserit, & recta ferè ad exercitum Turcicum, quāta maxima potuit, celeritate vno agmine contendit. Paulò ante aduētum ipsius, manu aliqua in finibus facta, villas aliquot Turcicas Kosaci exusserant. An igitur hac re irritatus, ad vindicandas quasi iniurias hæc illorum iter huc conuerterit, siue etiam à Sinan Bassa in odium æmuli eius Ferat Bassæ, qui nuntium Regium cum eo, quod suprà demonstratum est, responso ex porta dimiserat; vel ob Hatuani obsidionem soluendam, quæ tamen, cùm in Vngariam peruenit, soluta iam fuerat, hoc itinere ire iussus fuerit, coniiicere non possum. Per Poloniæ quidem fines perrupturo, etsi plures viæ propositæ sint; propinquoires tamen

tres ferè. Vna latior aliquantò, quàm cæteræ, at-
que ob id commodior, quòd verò frequentissi-
mis pagis maximè culta sit, ob prædam etiam
maximè hosti expetenda, per Samboriam; alte-
ra iuxta Strium flumen, quæ vtraque Mukaciam
Cæs: ditionis Vngariæ oppidum rectà ducunt;
tertia remotior, secundùm Oporum alterum flu-
men, versus Hustum Transiluanicæ ditionis præ-
fecturam, intrâq; territorium Hustense iam cæ-
teris ferè angustior. Quòd Samboriensis via, &
prima mihi versus hostes contendenti occurre-
ret, & vt omnium commodissima, prædæque,
quam sequi ille solet, faciendæ maximè oppor-
tuna, ea etiam Tartarus iturus pro certo nuncia-
retur, ea occurrere illi institui: à qua nimirum vt
maximè alia via iret, ipsa tamen itineris ratio, &
series, vltius deinde versus eum me duceret.
Iam in conspectum ignium hostilium peruene-
ram, non longoq; interuallo hostem abesse sen-
tiens, mox leuiores equites aliquot, qui aduen-
tum hostis explorarent, misi: alios paratos ha-
bebam, qui velitationibus in locum mihi com-
modum

modum hostem pertraherent; ita animo paratus, ut dum exercitus reliquus aduentaret, vel honesta morte, si sustinere impetum eius non possem, saltem morarer. Interim hostis in Hufensem viam se conuertit, quod ex eo, quod nullos ignes iam amplius videbam, mox suspicatus, ne expectato quidem reditu exploratorum, mox moui. In itinere deinde ut progrediebar, voluntarij aliqui se mihi adiunxerunt, tum D. præfectus campestris, cum stipendiario milite, qui tanta celeritate aduenerat; ut cum magno interuallo longius iter à statiuis, quam Tartari per Valachiam habuisset, fama tamen aduentus eorum excitus, vix non cursum eorum adæquarit. Impedimentis omnibus relictis, campestribusque tormentis solis assumptis, quanta adhiberi à nobis potuit, maxima festinatione, non minore autem spe, secuti hostem sumus; fore, ut si alicubi obstaculi aliquid obiectum ei fuisset intra montes, assequi eum possemus. Interim hostis tanta contentione progredi, ut vnius diei itinere, per plana quatuor, in montibus quinque, mubem atque


atque ita coniunctim nouem miliaria noſtratia
peruolaret, vnoque isto itinere, ad radices iugi,
quod tranſuerſum per montes eos protenditur,
pertingeret: Beskieth vulgò accolæ vocant, fi-
nesq; ditionis Polonicæ & Tranſyluanicæ diſter-
minat. ab eo deinde ad ſeptimum circiter mili-
are, præfectus Huſtenſis, qui & à me ea de re ad-
monitus fuerat, & ab ipſo etiam principe Tran-
ſiluanicæ ternis literis, de aduentu per fines no-
ſtros hoſtis, ſibi nunciatū iam, priuſquā in Huſtē-
ſem viam hoſtis ſe conuertiffet, certioſam me fe-
cerat, arboribus deiectis, ipſe ei in anguſtijs, per
quas ad Huſtum itur, ſe obiecerat. Verū hoſtes
ſumma audacia & pernitate, à lateribus per
cacumina montium ſe præcipitantes, à tergo
illum circumuenere; vt maiore parte caſa, præ-
fectus, cum paucis aliquot, ægrè fuga euaderet.
Poſt nullo obſiſtente, verſus Huſtum promouit:
montibusque ſuperatis in patentes Vngariæ
campos euasit. Secutus illum ſum Kielecza-
num vſque, Tranſyluanicæ ditionis pagum: vbi
conſilio de perſequendo hoſte habito, cum per
C mon-


01
montes in plana eum iam euasisse constaret, vt sine vlla ferè spe, hostem perniciosissimum, qui præfertim planiciem iam teneret, & nullo in loco moraretur, cum exercitu, & exiguo, & tantis itineribus non mediocriter defatigato adipiscendi, in alienam ditionē non accersiti, inuitatiuè, quod verò caput esset, iniussu regis, aut ordinum, hostem vltius persequeremur, nulli eorum, qui in consilio mihi aderant, visum fuit. Itaque, cum in loco à Tartaris iam antè vastato, vel propter famem diutius subsistere non possemus, quamuis dolens & mœrens, quid aliud tamē facerem, quàm vt intra fines exercitum reducerem, non reperi. Habeo autem nunc eum propinquis in locis. Interim, cum Regiæ Maiestatis, quæ sub hoc ipsum tempus, quo hæc scribo, in regnum iam regressa nunciatur, tum ordinum mandatū expecto. Apud quos, quantum vel cohortatione, vel precibus valuerò, omnibus certè rebus in id incumbere non intermittam, vt quàm fluxa barbarorum fides sit, vel ex actionibus hisce eius, qui non modò foederatam pacem nobiscum habet,


10


bet; sed nouissimè etiam per nuncium regium omnia pacata publicè nobis renunciârit, æstiment; præsensq; Christianitatis periculum commune sibi cum reliqua Christianitate ducant. Ex itinere equestris ordinis quēdam à se captum, & iuramento de mandatis suis ad me perferendis prius adactum, denudatumq; & scuticis, quò firmior mandatorum ipsius memoria in illo hæreret, cæsum dimisit. Summa hæc fuit, vnum me potissimum obstare, quo minus donatiuum illi solueretur. Itaque nisi superiorum annorum donatiua, quàmprimùm soluenda ei curarem, breui se apud nos fore, ipsumq; me pro donatiuo ligatum Turcæ ducturum. Deum Opt. Max. precari non desino, vt iuuandæ Christianitatis, hostisq; vlciscendi voluntatem quidem eandem, quam semper habui, facultatem eius testandæ maiorem, posthac mihi tribuat. Quod reliquum est, gratiæ Illustriss. D. V. me commendo, omniaq; fausta ac felicia à Deo Opt. Max. illi precor. Datum Zamoscij die xij.

Mensis Augusti. Anno Domini,
M. D. XCIII.









Biblioteka Jagiellońska



stdr0013340

